



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

894. Quæ, & qualiter uniri possint parochialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

fit juxta declarat. S. Congregat. Garc. num. 87, Castrop. loc. cit. Nihil tamen vetat, quo minus Episcopus cum consensu Capituli curam animarum, quae incumbit toti Capitulo, transferre, etiam per viam unionis possit in obtinendae dignitatem in eadem Ecclesia, vel in alium Canonicum ejusdem Ecclesiae. Garc. p. 9. c. 2. nu. 190. recitans pro hac declarat. S. Congregat. Ventrigl. loc. cit. n. 16. citans Aldan. in comp. Canon. resolut. l. 4. tit. 8. n. 4. Porro, dum aliqua dignitates unitas sibi praeferunt Parochiales, diligenter id examinandum; cum non omne jus, quod Monasterium vel dignitas aliqua in Parochialem habet, veram annexionem seu unionem importet, sed prout dictum aliquoties, quandoque solum Juspatronatus vel tributum, censuram, aut pensionem, protectionem, aliamve dependentiam. Card. de Luca. ad Trid. d. 33. n. 34.

Questio 893. Quae, & qualiter uniri possint ab Episcopo Canonici Cathedralium, & insignis Collegiatae?

1. Respondeo primò: Uniri iis possunt simplicia, dum tenues redditus habent, constat ex Trid. sess. 24. c. 15. juxta dicta paulò supra, cum autem beneficia de sui natura praesumantur congrua, hac eorum tenuitas est probanda. Ventrigl. cit. §. 1. n. 19. Videtur autem insinuare Cardin. de Luca. de benef. d. 46. n. 7. quòd nequidem simplicia uniri possint Canonici, qui non habent praebendam, utpote sine qua verificabile non sit illud conciliare decretum. Porro quae dicatur Collegiata insignis, jure definiti non posse, sed dimittendum Judicis arbitrio, ait Ventrigl. ibid. n. 17. ex Menoch. de arb. casu 158. n. 4. Judicem verò ad dijudicandam hanc qualitatem insignitatis pendere posse communem existimationem, ait ex Lott. l. 1. q. 15. n. 4. & seq. Item locum in quo sita est collegiata, & sic insignem fuisse judicandam sitam in oppido, ubi erant 820. focularia, ait, referri à Barbo. de capitulo & dignitat. c. 2. n. 18. Item existimari insignem ratione loci, si is communiter existimetur nobilis & insignis. De quo Nav. conf. 1. aliàs 3. de verbor. signif. Item dignosci ex eo, si Ecclesia illa sit matrix, si antiqua, si altas praecedat, si magnum numerum habeat ministrorum; si insignem structuram, & alia similia. De quibus Barb. loc. cit.

2. Respondeo secundò: Non posse eis uniri curata & Parochialia. Constat quoque ex Trid. sess. 24. c. 13. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 63. juxta dicta quoque supra, cum eadem extensione, ut ne quidem pars fructuum parochialium illis uniri possit. Hic iterum notandum, quòd quasi praeced. dictum, posse curam incumbentem toti Capitulo, per viam unionis ab Episcopo transferri in certum canonicum ejusdem Ecclesiae.

3. Respondeo tertio: Neque uniri illis possunt dignitates vel praebenda Cathedralium, vel etiam alii canonicatus. Gonz. loc. cit. n. 64. citans pro hoc Trid. sess. 24. c. 23. post princip. & sess. 6. c. 6. & sess. 25. c. 9. in fine.

Questio 894. Quae, & qualiter uniri possint Parochialibus?

1. Respondeo primò: Uniri iis posse per Episcopum alia beneficia simplicia, residentiam non requiruntia. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 66. Ventrigl. cit.

§. 1. n. 35. juxta c. 5. sess. 20. Trid. Idque si Ecclesia curata adeo pauper est, ut aliter status ejus pro dignitate nequeat conservari. Lott. l. 1. q. 28. n. 184.

2. Respondeo secundò: Potest etiam iis alia curata, seu alia Parochiales unire, propter eandem earum pauperatem, & in ceteris casibus à jure permittis. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 3. n. 11. Gonz. loc. cit. Ventrigl. loc. cit. juxta Trid. loc. cit. per quod etiam decretum ait Castrop. auctam esse à Papa potestatem aliis Ordinariis concessam uniendo beneficia, ut eam exercere possint tanquam Apostolica Sedis Delegati, uniendo quascunque suae diocesis Parochiales cum aliis curatis, vel non curatis.

3. Respondeo tertio: Non tamen possunt iis uniri per Episcopum dignitates. Gonz. loc. cit. n. 64. Ventrigl. cit. §. 1. n. 2. citans Raccium in pr. p. 1. resolut. 393. vers. limita quartò. juxta Trid. sess. 23. c. 18. & sess. 24. c. 15. Neque etiam canonicatus. Gonz. Ventrigl. loc. cit. nisi, ut addit posterior, per modum suppressionis.

Questio 895. Quae, & qualiter uniri possint simplicibus?

1. Respondeo primò: Simplicibus simplicia uniri possunt per Episcopum. Ventrigl. l. cit. n. 22. cum communi. Quae responsio, quas pariat exceptiones, videbis ex seqq. qq.

2. Respondeo secundò: Non tamen iis uniri possunt Parochiales, aut alia curata. Ventrigl. loc. cit. n. 13. Garc. cit. c. 2. n. 86. Gonz. loc. cit. n. 63. juxta dispositionem Trid. sess. 24. c. 13. & sess. 14. c. 9. Neque dignitates aut canonicatus. Gonz. cit. n. 63. juncto n. 64. nequit enim magis dignum minus digno uniri. Ventrigl. loc. cit. n. 11. Gonz. cit. §. 7. n. 130. citans Gomez. de expectativis n. 36. Rebuff. in pr. tit. de union. n. 17.

Questio 896. An, & qualiter, & per quem uniri possint Cathedralibus inter se?

1. Respondeo primò: Rarius hodie dum post Tridentinum in consistoriali Congregatione (quo res illa pertinet) agi de Cathedralibus unionibus, occurrunt: è quoque frequentem harum unionum usum in Italia esse dicto Concilio antiquiorum, ait Cardin. de Luca ad Trid. d. 8. n. 4. Dumque post Trident. quandoque factae videntur, eas, ait ibidem, n. 5. Cardin. de Luc. non esse de duabus Ecclesiis, quae prius essent Cathedralibus, aded, ut quilibet suum Episcopum proprium haberet? sed potius esse casus unius Ecclesiae, quae prius nullius erat Diocesis, vel etiam in aliqua parte Diocesis cum Praelato exempto, habente jurisdictionem Ordinariam in Clerum & Populum; unde inter eundem & Diocesanum oriebantur saepe discordiae, erectae in Cathedralibus, & unico contextu principaliter unitae antiquae Cathedrali, cum qua erant controversae; eò quòd neque loci, neque dotis qualitas pateretur eam erigi in novam Cathedralibus cum proprio ac distincto Episcopo.

2. Secundò: Dum verò Ecclesiarum, quae antiquo erant Cathedralibus, distinctos habentes Episcopos, facienda est unio, siue ea sit aequè principalis, ita ut quilibet suas jurisdictiones & praerogativas retineat cum omnimoda independentia ab altera, perinde ac si nullatenus unitae essent: siue sit, accessoria & subjectiva, ita ut illa earum, quae alteri subjectivè unitur, supprimi dicatur, amittendo nomen